

114

Lib. II. Cap. II.

CAP. II.

De

## ORATIONE EJUS- QUE SPECIEBUS.

I.

**H**Actenus actum est de partibus Orationis, nomine scil. & verbo, sequitur nunc ipsa Oratio ex his constans.

2. Est autem Oratio juxta Aristot. *lib. de interpr. c. 4.* vox significans, cujus aliqua pars significat separatim ut dictio, non ut affirmatio vel negatio.

3. Dicitur 1. *Vox*, non una quidem & simplex, sed ex pluribus, ordinem & nexum inter se habentibus, composita, e. g. *disce virtutem*. Ub. observa, quod dicitur: *ordinem & nexum inter se habentibus*; Si enim plures connectuntur voces, quæ nullum inter se ordinem & nexum habent, orationem non efficiunt, e. g. cum dico: *homo, dies, mensis, cælum, terra &c.* non est oratio; quia nullum inter se ordinem, nullum nexum hæ voces habent.

4. Dicitur 2. *Vox significans*, subintellige, *ex impositione*, quod, tanquam notum quid, ex definitione nominis hic repetendum esse docet *Ammos. l. c.* & ipse Aristoteles idem exprimit